

167

165

171

161

176

156

216

116

266

066

Ende

Anfang

156

hospes noster, dixit, quod nihil proficere possent contra Schambeck, qui ab omnibus vir verax habebatur et amabatur et si eum offendideremus, non bene in Alexandria staremus. Sic ergo inclinaverunt se domini ad solvendum. Igitur facto prandio venit Trutscelmannus et exegit pecuniam ab omnibus aequalem, a paupere sicut a divite, ab ignobili sicut a nobili, demtis sacerdotibus. Quicumque enim signa sacerdotii sui ostendebat in rasura et veste, illum libere dimisit; ab antiquo enim innatum est Aegyptiis libertati dare sacerdotes, nam Genes. 47. legitur, quod cum tempore famis cunctorum Aegyptiorum terram Pharao emeret pro dandis victualibus, atque sub eodem fame cunetos servituti subjiceret, sacerdotibus ita necessaria ministravit, ut nec possessionibus, nec libertate privarentur et nudarentur. Domino ex tunc pronunciante sacerdotes in omni gente liberos esse oportere inquit Gratianus XXIII. a. VIII. §. quamvis etc.

Et ut altius de hoc aliquid referam, sciendum, quod apud Aegyptios, ut libri gentilium docent, primo fuerunt instituti sacerdotes ad deorum cultum, hoc modo, ut habet Diodorus Lib. 1. cap. 2. antiquarum rerum: Osiris, homo valens ingenio, filius Jovis et Junonis, et Isis foemina industriosissima, cum antiquissimis temporibus, amplius quam decem millibus annorum, ante Alexandrum M., ut habent fabulae, regnarent in Aegypto, erexerunt templa et statuas aureas parentibus, Jovi et Junoni et populum haec honorare docuerunt et multam humanitatem in gentem illam, quae antea bestialiter vivebat, induxerunt. Triticum et hordeum, vinum et cerevisiam primi invenerunt et litteras scribere et legere tradiderunt. Propter quae populus eis divinos contulit honores et Osirin solem et Isidem lunam esse dicebant. Post haec Osiris fuit a fratre suo Typhone interemptus et in XXVI partes corpus divisum. Isis ergo regnum accepit et divisa membra Osiridis re-collegit eaque in pristinum corporis ordinem posuit et in pretiosissimo aureo sepulchro collocavit, convocavitque dignos homines et sacerdotium instituit pro servitio Osiridis. Ut autem eos promtores ad cultum illum faceret, tertiam eis agrorum partem ad sacra deorum concessit. Sed et Isidi mortuae, sicut vivae, divinos exhibuerunt honores, quorum sacerdotes singularem ducebant religiosam vitam, de quibus Cheremon Stoicus, ut habetur in Reg. beati Hieronymi CVIII., narrat, quod omnibus mundi negotiis curis-

